6

DE

RHENI INUNDATIONIBUS EARUMQUE INCOMMODIS

ECLOGA

HERCULIS CORAZZI

ABBATIS OLIVETANI

PUBLICI ANALYSEOS LECTORIS

Et Instituti Scientiarum Mathematici

Ad Eminentissimum ac Reverendissimum

D. CURTIUM

CARDINALEM

ORIGUM

Bononiae Legatum.

Aſpiciant hunc

FLOREM

LEGATORUM.

Cic. pro Flac.



EMINENTISSIME PRINCEPS.



Axime vellem, P. E., ut, quod veteres de ſuis Poetis praedicare ſolebant, inflatum quendam divinum haberent carmina haec; neque te ſolum ad

commoda noſtra ſponte paratum, ſed Italiam omnem commoverent. Elapſis proxime menſibus aliqua nobis ſalutis ſpes oborta erat; ſed ſtatim intercidit, jamque ad priſtinas querelas redeamus neceſſe eſt: quod idcirco verſibus facimus, ut rem ſaepius repetitam novo aliquo dictionis genere fatigatiſſimis auribus inſeramus. Sed fruſtra ſoluta oratione, fruſtra ligata contendemus, niſi tu, P. E., ad hujus civitatis praeſidium difficillimis temporibus datus, cauſſam noſtram ex animo ſuſcipis, tuaque ſapientia, et auctoritate defendis. Cetera beneficia, quae nobis in diem liberaliſſime confers, magna illa quidem ſunt, planeque ejuſmodi, ut omnium ordinum deſideria nec una, neque ſimilia ſatis ſuperque expleant; ſed haec tibi gratiam, et benevolentiam parere poſſunt, immortalitatem (mihi crede) non poſſunt. Hoc unum tibi nos, poſteroſque noſtros in aevum devinciet; hoc uno et pater, et conditor hujus urbis publicis

mo-

monumentis appellabere, ſiquid cogites, ac efficias, ut ab his foediſſimis inundationibus tandem aliquando liberemur. Non deeſt tibi conſilium, non prudentia, non animi magnitudo, non liberalitas, non ceterae virtutes Principe dignae; quid eſt, in quo illas majore cum fructu ad nominis tui famam, et celebritatem exercere poſſis, quam ſi urbem nobilitate, opibus, litteris jamdiu florentiſſimam ab ingenti miſeria, certiſſimoque exitio tuearis? Nimis fortaſse quibuſdam amplificare videbor, et illa etiam, quae remotiſſima ſunt, tamquam impendentia timere: ſed quam vera loquar, tu ipſe teſtis es, qui incommoda noſtra praeſens intueris, et, quantum quidem in te eſt, non providentia modo, ſed etiam liberalitate quotidie ſublevas. Haec tu Sapientiſſimo, ac Optimo Pontifici CLEMENTI XI, quem libuit Amyntae nomine his carminibus deſignare, quamprimum ſignifica, idque precibus noſtris toties repetitis

gravitatis, et auctoritatis adjunge, quod ad fidelissimae civitatis solatium intelligis satis esse. Vale.

Eminentiae Tuae Reverendissimae.

Bononiae Idibus Februarii MDCCXVIII.

Addictissimus, & Humillimus Servus
Hercules Corazzi.

GLYCISTUS ET EUMOLPUS

DE RHENI INUNDATIONIBUS

EARUMQUE INCOMMODIS DISSERUNT.

E C L O G A.

Glyciſtus.



Os, Eumolpe mihi longo poſt tempore viſe,
Sors hodie quoniam junxit, quin ſeria corde
Pellimus, et verſus alternis dicimus? Hac tu
Sub fago mecum, memini, cantare ſolebas:
Dum canimus, paſcet laſcivos Tityrus haedos.

Eumolpus.

Me longos tecum Soles trivisse, Glyciste,
Cantando memini, nec respondere paratus
Te magis ullus erat, nec adhuc mihi carminis omne
Aufugit studium; sed laetae carmina sorti
Conveniunt, hilares animos, atque otia poscunt:
At nunc heu quam nos fortuna tenaciter urget!

Glycistus.

Nimirum pulsa curarum nube, serenant
Carmina turbatam mentem, falluntque dolorem.

Eumolpus.

Quae modo nos urgent, alio medicamine poscunt
Sanari. Rhenus, late stagnantibus undis,
Reddidit uda nimis jamdudum pascua, jamque
Diversis pecudes morbis vexantur, et ipse
Non plane vacat a vitio, quem ducimus, aer.
Quin etiam sic ille furit sine lege quotannis,
Ut merito timeam, ne, quae per saecula longa
Arcadibus viguit nihilo mage junior ipsis,
Felsina, corrupto caelo, mortalibus orba,
Infelix olim jaceat: quid proderit, artes
Tam multos tunc ingenuas coluisse per annos,

Quas

Quas doctus sevisse omnes ibi fertur Apollo?
Quò tunc regalesque domus, turresque superbae?
Sed plus afficiunt nos nostra incommoda: ridens
Mittere vix coepit viridantia gramina campus,
En tumet, en ripas Rhenus supereminet, en se
Immittens passis in agros furibundus habenis,
Pascua prosternit gregibus succrescere jussa.
Consulere in medium, quò tantam avertere pestem
Possimus, non vana decet terere otia cantu.

Glycistus.

Jam mecum hac de re statui: munimine ripas
Si firmare novo tendas, et inaniter hircos
Emulges, et littus aras; numerum ut lupus, undae
Sic obicem curant: quare compellere certum est
Felsineos pecus in montes, tum Rhenus in agros,
Ut libet, effuso prorumpat ab aggere, et anni
Spem rapiat, caelum vitiet stagnantibus undis.

Eumolpus.

Parce, nimis praeceps hoc est, nullique probandum
Consilium; dic praerupto quae pascua montis
Dorso, quae inveniant simae virgulta capellae?
Adde, quod a teneris assueti mitibus auris,
Implacidos aegre Boreas patiemur, et Euros.
Accipe quae mihi nunc animo sententia surgat:
Haud

Haud procul hinc Padus eſt, cujus ſe margine denſa
Populus attollit, quem maximus ille Menalcas
Fluviorum regem dixit, quod, credo, capaci
Aequora vaſta ſinu teneat; diducere in illum
Quid vetat in noſtris ſtagnantia flumina campis?

Glyciſtus.

Quid vetat? immo quis hoc exoptet? Thyrſis, et Alcon
Exclament ambo, valideque queratur Jolas;
Qui metuent, ripis ne tum Padus exeat ipſe,
Quem poſſunt aegre jam nunc arcere furentem.

Eumolpus.

Scis modo cur pleno Padus alveo turgidus intra
Vix ſe ſe poſſit riparum clauſtra tenere?
Non quod, ut ajebat Codrus miſer, aeſtuet undis
Jam nimijs;ſed quod (prudentem ita dicere Mopſum
Saepius audivi) modicas cum devehat undas,
Lentus it, et nimia paſſim ſubſidit arena:
Hinc facile aequato ſubjectis margine foedam
Diluviem minitatur agris. Vertatur in illum
Exundans Rhenus, rapidis tum fluctibus imum
Eradet fundum, et curſu majore (quod aegre
Credideris, verum tamen eſt) devectus in aequor
Influet, inque illud, tardo quae flumine ſtagnant
Nunc undas, fundoque omnem eructabit arenam.
Sic

Sic ſine fraude Padi poterunt mala noſtra levari.
Neſcio quid Mopſus mihi narrans addidit: atqui
Vix capies; ſed crede tamen. Non alveus illi
Quod deſit, tumet Eridanus; ſed currere in aequor
Quà debet, tardo fertur prope littora curſu.
Namque illum multi proprijs ſubſidere in agris
Paſtores avidi quaerunt, ut paſcua arenâ
Uda tegat: ſic multa illic diviſus in ora
Fundere ſe fruſtra tentat, retroque referri
Cogitur, et refluas agger vix continet undas.
Fac coeant undae, motuque ſub aequora ponti
Non interrupto ſubeant uno impete fuſae:
Jam non Eridanus referetur gurgite retro,
Pondere vel nimio ripas effringet inertes.

Glyciſtus.

Res ita forſan habet; ſed ijs perſuadeat iſtud
Quis rogo? Dein illos quis poſſit flectere, quando,
Qui ſuperant omnes armentis, vique peculi,
Paſtores etiam niti ſe jure putabunt.

Eumolpus.

Iſtorum quivis quantum ſubmittat Amyntae
Se ſummo noſti, quam ſit, noſti, aequus Amyntas
Omnibus. Hic illos placatos mittet, acerbas
Componens lites, nec peſſum nos ſinet ire
Funditus; afferet hic rebus ſolamen in arctis.

Gly-

Glyciſtus.

Non ego diffiteor, nobis bona quaelibet illum
Velle; ſat oſtendunt benefacta id plurima, quae non
Ille quidem nobis, noſtrae ſed contulit Urbi.
Nuper cum domino calathos, et poma tuliſſem,
Multa mihi Stimichon oſtendit munera Amyntae,
Culmina Muſarum noſtros aequantia montes,
Ingentes titulis homines, Tyrioque galero,
Et quae non memini, ſed tum vidiſſe juvabat.
Quamquam non ſolis benefecit civibus; aras
Munificae ſtatuit, ſuccenſo thure, Patronae,
Quam ſua paſtores poſſent in vota vocare.
Dum nimis at contra clamant, qui commoda noſtra
Oppugnant, quatiant aequa ne mente timendum eſt.

Eumolpus.

Ille quidem miti corde eſt, precibuſque patenti,
Dum patitur jus faſque; aequum ſi forte repugnet,
Mens immota manet, venti velut agmine facto
Cum varij certant veteri convellere ſilva
Annoſam quercum, radicibus illa reſiſtit
Alte innixa ſuis. Non deeſt facundia, non deeſt
Illi conſilium, quo nos tueatur, et artes
Eludat cunctas, quibus ij nos perdere tentant.

Gly-

Glyciſtus.

Eumolpe, in dubijs qui ſemper caſibus affers
Optima conſilia, ac Superis diffidere quenquam
Non ſinis, in montes non ultra cogito, ſic tu
Me ſperare jubes, jam vaſa hic ſiſtere certum eſt.

Eumolpus.

Nulla, Glyciſte, mihi debetur gratia, tutum
Quod modo perfugium rebus ſuccurrit in arctis
Conſului, a magno totum id ſed pendet Amynta,
Qui facilis noſtras ſi ſpes impleverit, ejus
Cantantes laudes, et nomen ad aſtra feremus.

Glyciſtus.

Ah ſi, quae nobis rapidus mala plurima Rhenus
Affert, ut ſperare jubes, averterit ille,
Tum vero experiar, ſi quidquam carmine poſſum;
Argutas tum propter aquas, fuſique per herbam
Verſibus impulſos montes, valleſque cavatas
Alternis reſonare bonum doceamus Amyntam.

FINIS.

Siqua ſunt verba veterem latinae linguae ſuperſtitionem redolentia, profiteor, ijs me ad ſermonis elegantiam uſum, non ut Chriſtianae Fidei veritati quippiam detraherem.

Vidit D. Auguſtinus Maria Alfieri Poenitentiariae Rector, Clericus Regularis Sancti Pauli, et in Ecclesia Metropolitana Bononiae Poenitentiar. pro Eminentiſſimo, et Reverendiſſimo Domino D. Jacobo Cardinali Boncompagno Bononiae Archiepiſcopo, ac Sac. Rom. Imp. Principe.

IMPRIMATUR

Fr. Th. Maria Caneti Provicarius Sancti Officii Bononiae.

BONONIAE, MDCCXVIII.

Typis Roſſi, et Sociorum ad Vexillum Roſae, prope Publicum Archigymnaſium.

SUPERIORUM FACULTATE.